

- A** omnipotentis dei, & bonum ecclesie sue sancte pro unionis reintegratione & pace Christianorum & schismatum extirpatione prohdolor uigentium, ultra alios nuncios nostros te tamquam personam nostram ad maiestatem regie Constantiam personam liter destinemus, nos uolentes pariter & optantes, ut eo perfectius perficere ualeas in premissis, quo maiori fueris autoritate munitus: tibi cum subordinata sit renunciatio canonice & certae electioni unici futuri summi pontificis, & alia etiam necessaria habeant interuenire, pro predictorum effectu salubriter consequendo, tibi conueni- endo aut illis, cum quibus tue providentiae uidebitur expedire, modis congruis & opportunis tractandi, practicandi & concludendi, quae tibi uisa fuerint utilia & ne- cessaria ad praedicta, etiam si forent talia, quae mandata alia & tibi data excederent, quantumcunque mandatum exigerent specificum & speciale, & si aliqua uidebitur tibi magis conuenire personae ecclesiasticae, illa expedi- faciendi per personam ecclesiasticam, quam elegeris, & ei sic electae & iuxta tuam dispositionem facturae praesen- tis tenore de plenitudine apostolicae potestatis plenam & liberam concedimus facultatem. Datum Arimini tertio idus Martij, pontificatus nostri anno nono. Quibus bullis lectis, dominus Carolus (prout in eisdem continebatur) habens maiorem au- toritatem quam caeteri, commisit praefato domino Ioanni Dominici cardinali uices suas ad autorizandum & approbandum dictum concilium. Quam commissionem in se recipiens, facta breui collatione cum themate, Oes unanimes in oratione esto- i. Petri, b te, autorizauit concilium, prout in scheda tenoris sequentis continetur:

¶ **Schedula authorizationis concilij.**

Quia sanctissimus dominus noster Gregorius papa duodecimus audiuit, intellexit, atque multipliciter est informatus de celebri fama huius sanctae congregationis p generali concilio Constantiensis in Christi nomine congregatae, idcirco idem dominus noster auidus ecclesiasticae unionis & reformationis & extirpationis haereticae prauitatis, comissionem fecit, prout in eisdem literis nunc lectis dinoscitur cotineri. Cuius quidem commissionis & mandati uigore ego Ioannes miserentis diuina tituli sancti Sixti presbyter cardinalis, Ragusinus uulgariter nuncupatus, pro me & collegis meis in hac parte hic existentibus in nomine patris & filij & spiritus sancti, Amen, autoritate domini nostri papae quantum ad eundem spectat, ut praedicta sancta unio, reformatio, & haereticae prauitatis extirpatio, deo autore, meliorem serriam **C**ur effectui, & ut sub diuersorum professione pastorum dissidentes Christiani, in unitate sanctae matris ecclesiae & charitatis uinculo coniungantur, istud sacri concilium generale conuoco, & omnia per ipsum agenda autorizo, & confirmo iuxta modum & formam, prout in literis domini nostri nunc lectis plenius continetur.

His autem peractis, reuerendissimus pater dominus Bartholomaeus archiepiscopus Mediolanensis legebat capitula & ordinationes conceptas per concilium Costan- tiense. Tenores uero dictorum capitulorum sequuntur, & sunt tales:

Cum principium cuiuslibet rei porissima pars sit, ut principium decens & amabile deo & possibilis ecclesiae reintegratio fiat, sacrosancta generalis synodus Constantiensis in spiritu sancto legitime congregata, ecclesiam catholicam repraesentans, ut istae duae obedientiae, uidelicet illa quae profitetur Ioanem xxiij. olim fuisse papam, & illa quae profitetur dominum Gregorium duodecimum esse papam, uniantur una alteri, & altera alteri coniungatur sub capite Christo, dictas conuocationem, authorizationem, approbationem & confirmationem nomine illius domini, qui in sua obedientia dicitur Gregorius XII. nunc factas quantum ad ipsum spectare uidetur, quia abundas ad certitudinem pro bono cautela nemini nocet, sed omnibus prodest, in omnibus & per oia admittit, & amodo has supradictas duas obedientias coniunctas & unitas esse discernit, & declarat in uno corpore domini nostri IESU CHRISTI & huius sacri uniuersalis concilij generalis, in nomine patris & filij & spiritus sancti. Tolluntur